



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

Dominica Tertia

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

diurna : *Non alius : Sufficit mihi unicus, qui solus Jesus est.*

Dominica III. Adventûs.

EXHORTATIUNCULA I.

Duo latent in hodierna Dominica. Cognitio sui : *Tu quis es?* & interiorius in spiritu gaudium : *Gaudete.* Utrumque est necessarium tam incipienti, quàm progredienti in via Domini. Primum ut eò humilior sit in oculis Dei : Secundum, ut eò generosior spernat mundi gaudia, & sola quærat ac desideret immortalia.

Instructio meritoria.

Citò igitur ad Verbum Incarnatum, à quo impetrabimus omnia. Oremus in hunc finem *tres primas Decades ex Rosario Gaudioso cum Psalmo : Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum.* Deus imminet, ardeant pectora!

II.

Miremur hodie S. Joannis simplicitatem. Colitur, & honoratur ut Christus. Sed renuit clamans : *Non sum.*

A 4

Ah!

Ah! Fili! non videamur boni, sed simus in opere, & cum veritate. Nam bonus videri, & non esse, turpis hypocrisis est: bonus esse, & non videri, magna sanctitas est.

Instructio meritoria.

Exemplum sumamus veræ Virtutis ab humilitatis Magistra, Dei Matre Maria. Mater Dei est: & quis credidit hoc tempore? Nemo: *non enim erat ei locus in diversorio.* (Ut ad solidam perveniamus sanctitatem, coram ara B. V. *novem Ave* cum toties repetendo Cantico: *Magnificat* persolvamus.) Sit filius æqualis parenti.

III.

Quærunthodie Pharisæi Christum Dominum; sed non inveniunt. Unde? quia non quærunthodie in loco debito. Quærunthodie extrâ, & in deserto, cum tamen esset in eorum medio. *Medius stetit vestrum.* Non sic, ô fili! nobiscum, intus est Deus. Stringamus, teneamus!

In-

Instructio meritoria.

Sensus claudamus, visum præcipuè.
 Igitur dum sumus in ecclesia, clausis hodie oculis *Rosarium* recitemus *gloriosum*, neque recedamus sine susceptâ Communionem spirituali. O si oculi nostri semper ad Dominum! O si sursum tenderent corda, & pia suspiria!

Dominica IV. Adventus.

EXHORTATIUNCULA I.

Flli! scit utique, quàm bene ipsi voluerit SS. Trinitas, mittendô Dei Unigenitum, ut indueret hominem? voluit nimirum ut Deus fieret homo, & homo fieret quasi Deus. Quanta dignitas! sed ubi retributio?

Instructio meritoria.

Instant dies ultimi, & consummabitur negotium Redemptionis nostræ. Præveniamus, & usque ad Festum Nativitatis quotidie ante cubitum *illa 7. O. Majora* ferventissimè oremus sæpius per diem cum Patribus è limbo suspirantes: *Rorate cæli desuper, & pluant nobis*

A 5

nobis